vel per medias bellatorum acies fuge invenire remedium.
Sed dum pontem valde munitum cerneret et suos
hortaretur ad pugnam, sagitta in pede graviter vulne-
ratur, ita ut dolore vulneris iam non posset solita
sagacitate de prelio ordinare. Dimisso propterea
ponte, de fuga cogitans, ad vada fluminis properavit,
atque nullo impediente, expedite cum exercitu suo
transivit. Sed evadere bellum minime potuit.
Commisso bello, pauci faciliter corripiuntur a multis,
et capitur ~~ipse~~ impius Ecelinus; ad quem videndum quasi
monstrum populus confluebat. Ad Sucinum deinde
castrum perducitur, ubi post paucos dies eodem anno, cum
esset annorum ~~LX~~ LXX, in senectute pessima deficiens,
mortuus est, postquam Veronam optinuit annis ~~XL~~ XXXIIIIor.
Tyrampnis ~~erit~~ autem in Tridento, Feltro, Tarvisio,
Padua, Vincentia, Verona, Brixia.

~~IX~~ XIIIa. pars. De morte Albrici fratris eius.

De hoc viro ait ystoria Ecelini: Genus, inquit, potentis-
sima Venetorum, quam divina clementia fecit sepis-
sime de suis hostibus triumphare, audiens tyrampnum
horribilem corruisse, assumptis Tarvisinis, qui illuc
fugerant propter rabiem tyrannorum Ecelini et Al-
berici, exercitum transmittit contra superstitem
Albericum. Ecelini namque multis fuerat lacessita
iniuriis. Sed Veneti sicut viri astuti et donis sapientie
ac prudentie pre cunctis Ytalie populis dotati, opportu-
nitatem semper expectant, ut tyranno possent pro
demeritis respondere. Ipsorum namque virtute, po-
tentia et consilio capta fuit Padua a legato et postea
defensata ab impetu Ecelini. Pontem quoque, de quo
in superiori parte actum est, balistarii Venetorum
cum navibus castellatis suo robore et ingenio, fractis x f. 16 5.
~~VI~~ VI grossis cathenis, preliendiderunt et viriliter defen-
saverunt. Que omnia Albericus recogitans, eorum im-
petum substinere non ausus est, sed cum uxore
ac filiis et militibus Theotonicis nocte reliquit Tar-
visium et ad castrum Sancti Zenonis confugit, in quo
erant thesauri Ecelini absconditi. Ibique munitione loci
confixus, ad manendum se contulit, sed persequitur
eum predictus exercitus, accurrunt etiam Paduani et

a) ipse — 61.9.
c) Albrici c.
d) superstitem c.
e) spondere c. (l. respondere?)